



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 31. Infausta Cæsareorum Expeditio adversus Turcas in Hungaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

Sæc. XVIII.
A. C. 1739.

ad arcem citati comparere renuerunt hac ipsa tamen sua agendi ratione nimis aperte contestati sunt, sibi minimè cordi fuisse Religionis suæ libertatem sed potius sub hoc obtentu sensim Catholici Principis jugum excutere, firmum, fixumque habuisse.

§. XXXI.

Infauſta Cæſareorum expeditio aduerſus Turcas.

Interim Cæſareo exercitu ex hybernis in aciem educto amplior prospere expeditionis spes, quam successus erat; illius causa credebatur iterata supremorum Belliducum mutatio; ea enim in bellis plerumque noxia, satque periculosa est: Hoc autem anno novus militiæ Imperator nominabatur Oliverius Walifius Mareſcallus, qui die vigesima septima Junii trajecto Danubio Viſinizam progressus, Vinczæ castra posuit, atque a Barone de Bernclau, quem cum levi agmine exploratum emiserat, percepit prope Kroskam non nisi decem Turcarum millia confluisse. Vezirium vero cum exercitus robore primum die vigesima prima Julii accessurum: igitur habito belli Senatu hostem aggredi statuit: Nuntiabat equidem Pallavicinus supremus legionis

nis Dux, plurima Equitum, ac Janif-
 farorum millia citato cursu Kroskam
 versus contendere, atque proximas esse
 alias hostium turmas: Nihilominus Wa-
 liffius Tribunos prope instantis pugnae
 admonet, aciem tumultuarie instruit,
 & Husaros, qui propius explorarent
 hostium numerum & vires, emittit.
 Postea una ante mediam noctem hora
 diei vigesimae primae summo silentio
 primam aciem per arcta viarum educit:
 Levibus mox praeliis proluditur, de-
 pulsamque ex vicinis collibus hostem
 equestres Joannis Palfii, & Sabaudiae
 Ducis legiones primo diluculo inse-
 quantur. Mox vero in conspectu erat
 univertus Turcarum exercitus; datur
 pugnae initium nec justa nec aequa Cae-
 sareorum acie: ipsi etiam Sabaudi Equi-
 tes subita hostium impressione trepidi
 solutis ordinibus sylvam & fugam re-
 spectant, arctasque vias, per quas ce-
 tera agmina penetrarent, conglobati
 obstruunt: Infausti successus opportuni-
 tate usus Vezirius toto impetu in flo-
 rentissimum Caesaris Equitatum irruit:
 Nunquam majori furore ac pertinacia
 pugnatum est, si pugna tamen illa,
 & non verius laniena fuit; cum enim
 Caesarei Equites ob faucium angustias
 nec aciem explicare, nec valido pedi-
 tum agmine protegi possent, a Turcis

Ll 2.

nu-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1739.

Sæc. XVIII numero longe superioribus undique
 A. C. 1739. cincti, continenti trium horarum inter-
 necione propemodum deleti fuere: illata
 hac clade Barbari læva ex parte in e-
 ditiores clivos emisi quatuordecim Equi-
 tum legiones a reliquo exercitu inter-
 cludere. Peropportune quidem Hild-
 burgshufanus supremus armentarii
 Præfectus cum toto peditatu occurrit,
 Turcasque vicina cacumina occupare
 intentos iterato repellit, Neubergio Co-
 mite interim otiose in suis castris hæ-
 rente. Hic demum sole ad occasum
 vergente tota victoriæ spes hæsit: Tur-
 cis enim loci opportunitate tutis &
 Cæsareis multa clade attritis, tam hi-
 quam illi in sua quisque castra sese re-
 ceperunt. Circa numerum cæforum
 ex parte Christianorum, uti fieri amat,
 varius omnino erat computus, aliis in-
 immensum illum augmentibus, aliis plus
 justo imminuentibus: id omnino cer-
 tum est, ex summis Peditum Equitum-
 que Præfectis centum novendecim tru-
 cidatos, & ducentos viginti graviter
 faucios fuisse. Certior etiam fama re-
 tulit, ex Ottomanis non pauciores octo
 millibus cecidisse: Infausti tamen hujus
 certaminis culpa attribuebatur Walli-
 sio, eoquod contra militares leges non
 satis explorata Turcarum statione situ-
 que c. ias per fauces in locum infi-
 dia-

diarum improvide, non exspectato pe- Sæc. XVIII.
ditum adventu, deduxisset, nec hostem A. C. 1739.
prævenire, eique stationem explicandæ
aciei opportunam præripere intentus
fuiſſet.

§. XXXII.

Belgradum deditione captum.

Hac Cæsareorum clade elatus Mah-
met Bassa supremus Vezirius ho-
stem cum centies mille Turcis, Tarta-
risque strenue inſequabatur; cumque
valla cis Danubium versus Belgradum
a Christianis derelicta cerneret, copio-
siores nuperæ victoriæ fructus lecturus
ipsam Albam Græcam seu Belgradum,
firmissimum, & hunc ferme unicum
contra Ottomanos aggerem, oppugnandi
consilium cepit. Referebatur equi-
dem, Tos Bassam Biolinensem Ducem
Panſovæ iterato in Cæsareos irruisse,
eumque ab Hildsburghufano & Palfio
desideratis suorum octingentis sæpius
repulsum fuisse: hæc ipsa tamen primi
aggressus frustratio Vezirium magis
stimulabat, ut sociorum mortem ipſo
Belgradi excidio ulcisci decerneret.
Confestim igitur die vigesima sexta Julii
totum admovet exercitum, omnesque
belli machinas circa muros ad fossas &
aggeres impigro labore ducit, postea
ad dexteram lævamque munitiones e-
Ll 3 rigit,